

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## CXIII.

*S. D. Reverende Domine Doctor ac Superintendens,*

*frater carissime.*

**C**redo ac scio, te sæpe deplorare hujus temporis magnas confusiones, calamitates & pericula ingentium mutationum, quas vel nunc sentimus cum acerbissimo dolore, vel cum magna animi consternatione metuimus, imò jam appropinquantes aspiciamus, quæ faciunt, ut mortem minus exhorrescamus, & contagia pestilentia, quæ in toto ferme hoc tractu, & in hac urbe grassatur, minus fugiamus, cum & sapientis ac pius rex ex tribus propositis pœnarum generibus maluerit eligere paucorum dierum quantumvis sævam luem, quam trimestre bellum, aut 7. annos durantem famem. Vos autem, cum Dei beneficio summa tranquillitate fruamini, certiores redditi de nostris arumnis & periculis, sine dubio vestrarum precum subsidio nos sublevabitis. De iis autem edocere vos poterit hic honestus juvenis, Daniel Bütle, habens mecum communem patriam Kitthingam, qui cum senatus Kitthingensis iussione, & suorum cognatorum flagitatione adactus, iter necessarium ad vos hoc valde incommodo tempore institueret, petiit à me literas, quibus cupiebat sibi aditum ad tuam reverentiam patefieri. Mortuus est apud vos patruus ipsius, una cum uxore, cujus bona omnia devenerunt ad filium unicum superstitem, qui post parentum obitum in prælio ad Quintinum paulò ante congressum nostrum Wormaciæ celebratum, occubuisse dicitur. Ejus patruelis sui bona ipse suo & sororis nomine petiit, de quibus litem ei movent defuncti militis amitini, quod an jure faciant, ego nec intelligo, nec pronuncio. Tantum hoc te reverenter oro, ut si tuo consilio & commendatione alicubi indigerit, tuam ipsi benevolentiam mea causa præstare pro tua innata bonitate digneris, juveni pio & modesto, & bonorum virorum favore & officiis digno. Suali ei hoc quoque, ut quia pestis metus hinc multos expellit, petita venia Senatus Kitthingensis, per annum vel semestrem saltem isthic in vestra schola maneat, habiturus non minus utiles lectiones & profutura studiis suis exercitia, quam hic. Hoc si à suis Mecanatis impetraret, qua possum submissione à te peto, ut ipsum tuo domestico cœtui convictorum adjungas, & vestris optimis ac salutaribus exercitiis frui sinas, expecturus eum gratum, tranquillum & reverenter motigerum. Deo te tuamque domesticam & publicam Ecclesiam ardentibus præcibus commendo. Data Wittebergæ 25. Septembris 1566.

Peto reverenter salutari omnes Collegas tuos & Pauli mei præceptores, ac inprimis ipsius hospitem, virum integerrimum, Dominum D. Sebalduum Medicum, cui filius meus scripsisset, nisi jam metu pestis cum uxore exularet in vicino oppido Herzberga.

**Paulus Eberus, Pastor Ecclesiæ**

Wittebergensis.

Gg

CXIV.